28ª 8bris 1786

Absolutio D. Romsée à
Prioratu d'. Leodii et institutio
in Priorem ejusd. d'. D. Thomae
Bogaerts propterea absolutum
a Prioratu d'. Diestensis.
Et institutio D. francisci
Beckers profi. et Procris.
d'. Diestensis in Priorem ejusd. d'.

frater hilarion Prior Cartusiæ nec non Cartusiensis ordinis Minister
Generalis venerabilibus in Christo Patribus ad quos præsentes spectant,
salutem et spiritualium Charismatum abundantiam.

Cùm nihil antiquius nobis esse debeat quàm ut omnium
subditorum et imprimis Prælatorum ordinis consolationi provideamus,
enixis precibus venerabilis Patris Domni Philippi Romsée Prioris
domûs Leodii, ut onere pastorali propter continuas ac graves suas
infirmitates levetur, tandem adducti, tenore præsentium
nostrâque ac Capituli generalis autoritate super annum in nos
transfusâ, sequentes dispositiones ordinamus prout sequitur.
Priori domûs Leodii ad suam maximam instantiam fit misericordia;
Et præficimus in Priorem dictæ Domûs venerabilem Patrem Domnum
Thomam Bogaerts propterea à Prioratu domûs Diestensis absolutum.
Et Prior absolutus exerceat officium Correrii.
Priori domûs Diestensis alibi instituto fit misericordia.
Et præficimus in Priorem dictæ domûs venerabilem Patrem Domnum
franciscum Beckers professum et Procuratorem ejusdem domûs:
Mandantes omnibus Personis ordinis in duabus præfatis domibus
degentibus ut Priori sibi per præsentes specialiter instituto
debitam exhibeant obedientiam ac reverentiam. In Nomine
Patris, et filii, et Spiritûs Sancti, Amen. Accingant se nunc
ambo novi Priores et Confortentur in Domino ut erga fratres suos
omnem paternam sollicitudinem impleant, omnisque justitiæ
et observantiæ regularis exemplum verbo et opere illis
præbere diu noctuque non desinentes, fidelibus dispensatoribus
repromissam mercedem tempore suo adipisci mereantur. Quod ut
Certò Certiùs fiat, opulentum singulis de Cœlo apprecamur auxilium.
Datum Cartusiæ sub syngrapho et sigillo consuetis die 28ª octobris
anni 1786.